

nullo modo A. M. fundamentum, nedum formalem rationem absolvere potest, quemadmodum hoc ipsum, collatâ voluntarii & moralitatis definitione, luce meridiana clarius erit. Omnes fermè Philosophi in declarandô eodem in hanc eunt sententiam, quòd à *principiô intrinsecò cum cognitione* progrediatur. Hinc videre licet, duo eidem inesse requisita, primò quidem, *ut gaudeat principiô internò*; deinde, *ut actum antecedit cognitio finis aliarumve circumstantiarum*; Moralitatis verò longè alia est ratio, utpote quæ *intrinsecè & formaliter* ad certam aliquam ordinatur regulam. Manifestò igitur colligendum, voluntarium, *quà voluntarium*, non esse de constituendâ A. M. formali ratione.

XIII. *Johannes Poncius, Scotista, in cursu Philos. Tr. Eth. Diss. 2. quest. 6. conclus. 2.* formalem A. M. rationem ponit *in ordine vel formali vel fundamentali ad existimationem laudis aut vituperii, seu ad ipsam laudem vel vituperium*. Sed fallitur, non enim attendit, quòd bonitas & malitia demum sit *fundamentum*, cui superstruitur deniq; laus & vituperium, ut *proprietas quædam externa* A. M. quæ bonitatem & malitiam earum insequitur. Hinc patet adeò, quòd A. M. esse suum habeat, citra ordinem ad laudem vel vituperium, & quòd *conceptibus integris* differant. Quid? quòd morales actus per ordinem ad laudem vel vituperium non sufficienter ab aliis distinguantur. Theoretici habitus & artes mechanicæ non minùs laudis ac vituperii sunt capaces, quos tamen ineptè satis in classem moralium actionum referas. Ac ipse quidem hujus sententiæ auctor animadvertit, existimationem laudis aut vituperii insufficientem esse ad A. M. in suâ essentiâ constituendum, unde addit eidem *requisitum* aliquod, *tendentiam nempe in bonum honestum, aut malum inhonestum*; sed vix meliori, quàm antea, successu. Nam si ea ipsa tendentia aliquid dicit potentia intrinsecæ in subjectò, sicuti tendentia ad centrum in gravibus est talis interna facultas descendendi deorsum, tum sciendum est, quòd inquiram hîc *formalitatem A. M. ut sic considerati*, qui speciales actus boni vel mali differentias non magis includere potest, quàm animal in præcisione spectatum rationalitatem & irrationalitatem. Et in quæstione, quidnam formalem A. M. abstractè considerati rationem absolvat, non acquiescit curiosa mens in tendentiæ ad bonum vel malum assignatione; sed inquirit ulterius, *unde, & per quod tendentia illa in honestum aut inhonestum A.*

B

M. con-